

deveniant per lapsum temporis, quae rationabiliter fiunt ab hominibus aeternari solent patrociniis litterarum. Notum igitur esse volumus tam praesentis quam futuri aevi fidelibus, quod cum dominus Conradus perpetuus vicarius capellae sancti Andreae Misnensis ecclesiae a domino Tammone de Scassowe unum mansum in villa et pago Schepe situm pro undecim marcis argenti, dimidiam marcam in festo beatae Walpurgis et dimidiam in festo beati Michahelis annis singulis annui census, et insuper quindecim denarios usualis monetae cum duobus pullis in eodem festo beati Michahelis praetextu servitii, nec non duos pullos in capite ieiunii et in pascha unum seocum ovorum cum uno caseo solventem interveniente iusto emptionis et venditionis titulo comparasset, nos precibus eiusdem domini Conradi inclinati ad honorem omnipotentis dei et beati Andreae apostoli praedictum mansum post liberam resignationem eiusdem mansi a praefato domino Tammone et uxore ipsius, cui idem dominus Tammo eundem mansum nomine dotis assignaverat, nec non ab omnibus heredibus ipsorum voluntarie in nostris manibus factam, eidem capellae beati Andreae cum omni iure et utilitate, quae de ipso manso iam proveniunt vel provenire poterunt in futuro, de bona voluntate totius nostri capituli et consensu in proprium dedimus, iusto proprietatis titulo perpetuo possidendum. Ut autem haec nostra donatio robur obtineat perpetuae firmitatis, eandem litteram in testimonium praedictorum conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. Idus Aprilis pontificatus nostri anno nono, praesentibus testibus infra scriptis praeposito Johanne de Wrzin, domino Syffrido de Pigauia, domino Cunrado thesaurario, magistro Conrado nostro notario, canonicis ecclesiae Misnensis, domino Cunrado capellano nostro, domino Heinrico dicto Burleban milite, Petro de Turgowe et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an Pergamentstreifen hängen die wohl erhaltenen Siegel des Bischofs und des Capitels.

No. 240. 1275. 27. Aug.

*Probst Raynerius, päpstlicher Zehentsammler, schlägt mit Zustimmung des B. und Capitels die Getreidezinsen im Stift Meissen zu Gelde an.*

Nos Raynerius dei gratia praepositus ecclesiae de Clauario Yporiensis<sup>a)</sup> diocesis, capellanus venerabilis patris domini O. sancti Adriani diaconi cardinalis, collector decimarum in Coloniensi, Bremensi ac Magdeburgensi provinciis a sede apostolica deputatus, recognoscimus et tenore praesentium publice protestamur, quod constituto nobis in capitulo ecclesiae Misinensis ad omnem ambiguitatis scrupulum amputandum et solvendum decimas, purificandas conscientias et salvandas, communicato venerabilis patris domini Uitigonis Misinensis episcopi totiusque eiusdem ecclesiae capituli consilio et consensu, secundum vulgarem et approbatam ex antiquo terrae consuetudinem annonam decimandam in hunc modum aestimandam<sup>1)</sup> duximus et taxandam, videlicet ut pro maldro tritici Misinensis mensurae vel aequipollenti mensura quacunque, tres fertones argenti usualis monetae ad pondus eiusdem civitatis Misinensis et tantundem pro pisa,

a) Richtiger Eporediensis. Ivrea.

1) estimandam Orig.